



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Adnotationes || Et Meditationes || In Evangelia Qvae || In
Sacrosancto Mis-||sae Sacrificio || Toto Anno || Legvntvr;||**

Nadal, Gerónimo

Antuerpiæ, M. D. XCV.

Docet humilitatem discipulos suos, & correctionem fraternam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78158](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78158)

FERIA TERTIA POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Docet humilitatem discipulos, & correctionem fraternam.

MATTH. XVIII. MAR. IX. LVC. IX. ANNO XXXIII.

In xlvij. imaginem adnotati uncia.

xlvij.

- A. Descendens è transfiguratione IESVS versatur in Galilea.
- B. Veni Capharnaum, ubi hoc euenit.
- C. Cum vidissent solum tribuū pro Petro & IESV, excitantur Apostoli in contentionem, quis eorum videretur esse maior.
- D. Vocat eos ad humilitatem IESVS & simplicitatem, exemplo parvuli.
- E. Inde incipit explicare doctrinam de correctione fraterna; & solum peccator admonetur.
- F. Adhibetur unus vel alter testis.
- G. Tandem defertur ad Ecclesiam, vel Prasulem Ecclesia.

70.

EVANGELIVM MISSÆ.

MAR. IX. MATTH. XVIII. LVC. IX.

Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset.

ET^a cum venissent Capharnaum,

At IESVS videns cogitationes cordis illorum,

Qui cum domi essent, interrogabat eos, Quid in via tractabatur? At illi tacebant. Si quidem in via inter se^b disputauerant, quis eorum maior esset. Et residens vocauit duodecim,

In illa hora accesserunt discipuli ad IESVM, dicentes, Quis^c putas maior est in regno caelorum?

^d & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister.

Et accipiens puerum, Et^d aduocans IESVS parvulum, statuit eum in medio eorum,

apprehendit puerum secus se.

quem cum complexus esset, ait illis;

& dixit, Amē dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiami-

& ait illis;

MAR. IX.

MATTH. XVIII.

LUC. IX.

ni sicut paruuli, nō intrabit in regnū cælorum.

Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum.

Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit

me recipit:

& quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me.

Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.

Quicumque susceperit puerum istum

me recipit:

& quicumque me receperit, recipit eum qui me misit.

Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.

Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesie: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quaecunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quaecunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei: vsque septies? Dixit illi IESVS; Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.

ADNOTATIO.

- Ex Mat.* **A.** Monte Thabor descendit IESVS post transfigurationem gloriosam, versatus fuerat in Galilea.
- B.** Dein venit Capharnaum, ubi hæc contigerunt de quibus in presenti Euangelio.
- C.** Vbi vidissent alij Apostoli solutum Cesari, Christo iubente, tributum pro Christo simul & Petro vno didragmo, & eo quidem per miraculum reperto, patitur nescio quid humani; cogitant apud se primum, num propterea reliquos dignitate antecellat Petrus. Viderit IESVS quid cogitent: illi porrò ex cogitatione veniunt ad disceptationem, num Petrus maior, num vnus è consobrinis, vel quis tandem inter omnes alijs anteponeendus. & quid causa adduci ad illud possit, ut vnus aliquis esset alijs omnibus preferendus. Tandem ad Christum referunt questionem: temperant tamen: Quis putas, inquirunt, maior est in regno cælorum, quod tu predicas?
- D.** Christus verò ad animum illorum respondet, qui ab ambitione tentabatur. Conuocat omnes Apostolos, aduocat paruulum: statuit apud se in medio, hunc complectitur; hoc est simplicitatem, & humilitatem, ac cordis puritatem carissimas habet Christus, his fauet, has fouet, per has auget hominum apud Deum merita: docet Apostolos

Apostolos imitandam pueruli innocentiam, simplicitatem, humilitatem, se uelint maiores esse in regno caelorum. Coniungit deim Christus doctrinam de fraterna correctione.

E. Incipit explicari ea doctrina: hic enim qui peccauerat arguitur secrete ac benigne, arguentem tamen non audit.

F. Adhibetur unus aut alter testis.

G. Postremo, si testes etiam rejiciat, & in sua peruersitate perseveret, ad Ecclesiam deferatur, ad eum scilicet qui Ecclesiam gubernat, ut lege in illum agatur, & sacris arceatur, & Ecclesiae communionem, quae omnia ad correctionem pertinent: nam est excommunicatio medicinalis antidotum.

MEDITATIO.

Aperite oculos mentis & aures, attendite fratres. En è caelo Deus arguit nos, & statuit peccata nostra contra faciem nostram. Putatis quod sit nostri similis Deus, & dissimulet penitus peccata? dissimulat quidem peccata, sed propter poenitentiam. Agite, redeamus ad cor, conuertamur ad Deum, quia benignus & misericors est, longanimis, & multae misericordiae, & praestabilis super malitia. Facit enim eius benignitas, & misericordia, & longanimitas, ut facilem se praestet poenitentibus. Incepcionem Domini, qui semper pulsatur ad ostium cordis nostri, ne reprobemus; beatus enim homo qui corripitur à Domino. Quod si poenitentiam non egerimus, instaurabit testes suos, passiones filij sui, crucem, mortem in nos, & multiplicabit iram suam contra nos. Iam si illi testes, si haec comminatio nos non terreat, nec ad resipiscenciam adducat ad Ecclesiam filij sui, & iudicium eius ultimum nos rejiciet. Vbi nihil erit quod exculemus, proijciemur à facie Domini. Quoties item Angelus custos nos corripit benigne? quot bonis inspirationibus, quot monitis, quot comminationibus? quot vias poenitentiae demonstrat, nec audimus? Inuocat deinde in nos caelum & terram, alios aduocat Angelos qui nos ad resipiscenciam instigent, exempla proponit eorum qui propter poenitentiae neglectum miserè perierunt. Haec si non

audimus, ad iudicia Dei rejicit nos, & illorum seueritate nos terret, & horrendum esse inculcat incidere in manus iratas Dei uiuentis. His terroribus si non moueat, habebit tandem nos pro deploratis, & à facie nostrae misericordiae stabit longè; non relinquens quidem nostri omnem curam, sed quasi à nobis, & ab irruentibus in nos Daemonibus exclusus nos iuuare non poterit. Illi verò suam seuitiam in nos exercebunt pro sua libidine, qui rerum status parum ab Inferno abest. Consideremus tandem quid nobis in aurem cordis semper instillet syndereis nostra; dein ut aduocet contra nos testem conscienciam, & huius remorsum & vermem. Totum statum praeteritae vitae representat, ponit ante oculos futura, & ab his omnibus damnari nos demonstrat. Si verò non excitamur ad meliora, ad quatuor nouissimarum rerum considerationem nos mittit, Mortis, Iudicij extremi, Inferni, Paradisi; & his nos fortissimè constringit: mortuum tibi est: mortuo Iudicij Dei est & Christi subeundum, unde vel ad Infernum tandem, vel ad Paradisum iudicaris. Quae si non audiamus, tria illa horrenda mala manere nos denunciat, Mortem, Iudicium, Infernum. Imprime sancte I E S V salutarem sensum harum rerum spiritui nostro, ut ad te pleno corde redeamus, neque à te vnquam separari nos permittas. Amen.

Heb. 10.

Psal. 37.

N 4 FERIA